

213.



Disputatio VIII.

DE CORRUPCIONE ALBI PRÆTORIS; DE
maioris summæ in libello actionis petitione; De vocatione in ius contra edictum; De
exemptione violenta eius, qui in ius vocatus est; De dolosa retentione eius, qui in
iudicium vocatus est. De contemptu ius dicentis; & De iudi-
catione mala, dolo facta.

Q V A M,

A. D. O. M.

P R Æ S I D E,

CLARISSIMO

ET CONSVLTISSIMO VIRO,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

*& Professore in illustri Tubingensium Academia celeberrimo, Domino Assine & Præceptore
perhonorando.*

ORDINARIÏ EXERCITII GRATIA,

horâ locoque consuetis, ad diem 8. Iunij. pro in-
genij tenuitate defendere cona-
bitur

L V D O V I C V S V A L E N T I N V S
à Milen.



T V B I N G Æ,
Apud Georgium Gruppenbachium,

ANNO M. D. CCVIII,

CC

[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]




96.

I.

Disputatio VIII.

DE CORRUPTIONE ALBI PRÆTORIS; DE
maioris summæ in libello actionis petitione; De vocatione in ius contra edictum; De
exemptione violenta eius, qui in ius vocatus est; De dolosa retentione eius, qui in
iudicium vocatus est. De contemptu ius dicentis; & De iudi-
catione mala, dolo facta.

T H E S I S I.

 V A E reliqua sunt innominata delicta, (a) hac dispu-
tatione complecti certum nobis est. Corruptio albi præ-
toris est, qua quis id, quod iurisdictionis perpetuæ cau-
sa, à Magistratu, in albo, vel in charta, vel in alia materia,
publicè propositum fuit, dolo malo corrumpit, aut tol-
lit, per se, vel per alium, suo proprio consilio, aut alterius mandato. (b)

a) *proposita disputat. 5. Thesi. (b) l. si quis 7. ff. de iurisdic.*

I I.

Ex hoc delicto nascitur actio popularis in delinquentem, quæ
pœnam quingentorum aureorum continet, (a) soluendam ei, qui
agit. (b) Atque hac actione, etiam directa, teneri & eum, qui hoc
nostro seculo, Magistratus, iurisdictionem habentis, edicta, perpetuæ
iurisdictionis causa, publicè proposita, corrumpit, aut tollit, dolo ma-
lo, nihil dubium est. (c)

a) *d. l. si quis 7. in princ. ff. d. t. vbi lectionem Florentinam, quæ habet, quin-
gentorum aureorum, probamus, argumento, tum l. si familia. 9. ibi: contempta
maiestas Prætoris vindicatur. ff. eod. tit. tum l. 3. in princ. ff. de sepulchro violato,
tum etiam auctoritate Cuiacii lib. 19. obseru. cap. 31. & in comment. in lib. 3. Pauli
ad edictum, pag. 34. & Vvesenbecij in paratit. ff. d. tit. de iurisdiction. n. 13. At Do-
nellus lib. 15. commentar. cap. 24. pag. 451. Oldendorp. class. 1. act. 3. n. 6. & post alios
Iohan. Schneideuu. ad S. pœnales. n. 28. & ibidem Hottoman. Instit. de actionibus
veriores putant lectionem, quæ est de quinquaginta aureis. (b) Cum enim po-
pularis hæc actio sit, nec addatur, cui ea pœna adiudicari debeat, verisimile est, non
fisco, sed actori eam applicandam esse; quod facit etiam d. l. 3. in princ. ff. de sepulch.
violat. Quod quæ Iustinianus Imp. actionem ex hoc delicto annumerat illis actioni-
bus, quibus aliquis persequitur, quod sibi debetur, in d. S. pœnales. Inst. de actionib.
Atque hæc est communis opinio, ut post alios scribunt, Oldendorp. class. 1. act. 3. n. 6.
& Iohan. Schneid. ad d. S. pœnales. n. 28. Inst. de actionib. Sed Vvesemb. in paratit.*

ff. de Iurisdic. n. 13. & Arnold. ab Haersolte. in aduersarijs de actionib. ad partem. 1. ff. act. 5. n. 8. autumant diuidendam hanc esse pœnam inter fiscum, & actorem. per l. 25. lege Cornelia §. vlt. ff. De Scto. Silan. (c) Cùm enim eadem requisita adsint in corruptione edictorum Magistratus nostri temporis, cur non idem ius de his admitteremus? contra l. 1. §. Quod vulgò. 25. ff. de vi & vi arm.

III.

Quòd si plures hac experiri volent actione Prætor eligit magis idoneum; (a) & si plures fecerint, vel corruperint, vel mandaerint, omnes tenebuntur; (b) adeò quidem, vt non sufficiat, vnum eorum pœnam luere. (c)

a) l. 2. ff. de popularib. action. (b) d. l. si quis. 7. §. vlt. ff. de Iurisdic. (c) l. adeò quidem. 8. ff. d. tit.

IV.

Si familia alicuius album corruperit, quot serui sunt, qui proteruè album corruperunt, tot pœnas dominus, qui eos defendit, pendere tenetur.

d. l. si familia 9. ff. d. tit. ad quam legem vide Cuiac. in lib. 3. Pauli ad editum. pag. 33.

V.

In heredes corrumpentis, non datur hæc actio, neque supra annum extenditur.

l. vlt. ff. de popularib. actionib.

VI.

MAIORIS summæ in libello actionis petitio est, cùm quis, aduersarium suum in ius vocaturus, & libellum actionis editurus, in ipso conuentionis libello, maiorem quantitatem, quàm sibi debetur, dolo complexus est, atque hinc Reus maiores sportulas Apparitori pendere coactus fuerit, & inde rei familiaris damnum senserit.

§. Tripli. 24. Institut. de actionib.

VII.

Ex hoc delicto datur ipsi Reo conuento condictio ex lege, contra huiusmodi aduersarium, in triplum eius summæ, quæ vltra, quàm oportebat, à Reo Viatori depensa est.

dict. §. Tripli. vbi Hottoman. & Donell. Institut. de actionibus.

VIII.

VOCATIO in ius contra edictum est, qua quis sine petita venia in ius

ius vocat aliquem ex parentibus suis, vtriusque sexus, in infinitum licet naturalis sit, aut suum patronum, eiusque liberos, (a) aut alium quempiam eorum, quibus reuerentia præstanda est, (b) veluti No- uercam suam, Maritumque, (c) Magistratum perpetuum, (d) aut su- um feudi Dominum. (e)

a) l. 4. §. 1. & seq. l. adoptiuum. 8. & ll. seqq. ff. de in ius vocand. (b) l. Ge- neraliter 13. ff. d. t. (c) arg. l. 1. Cod. eod. tit. l. alia. 14. in fine. ff. solut. matrim. iunct. l. generaliter. 13. ff. de in ius vocand. Cuiac. lib. 10. obseru. cap. 10. circa fin. Ol- dendorp. class. 1. act. 4. cap. 4. n. 6. (d) l. 2. & l. 3. C. vbi senatores vel clariss. Bald. ad l. Benè à Zenone. in addit. C. de quadrienni præscript. Ias. ad l. 2. n. 2. ff. de in ius vocand. & ibidem etiam Zasius. Oldendorp. d. class. 1. act. 4. cap. 4. n. 7. (e) per. d. l. generaliter 13. ff. de in ius vocando, iunct. Tit. 22. vers. curia. autem, ibi: salua reue- rentia. & tit. 23. vers. Quomodo enim Vasallus. lib. 2. F. Speculator Tit. de feud. §. super homagijs. 2. n. 33. Zasius in sing. intellect. l. si non sortem. §. libertus ff. de cond. indeb. Et in epit. feudor. part. 7. Ias. ad l. generaliter 13. n. 4. ff. de in ius vocand. Iohan. Oldendorp. class. 1. act. 4. cap. 4. n. 5. Vvesenb. in parat. ff. de in ius vocand. n. 6. Hart- man. Hart. ab Eppingen lib. practic. obseru. Tit. de feud. obseru. 44. in addit. Vulteius ad S. pœnales. n. 28. Institut. de actionibus. Vide Rolandum à Valle cons. 18. vol. 2. Vbi meminit cause cuiusdam, in qua venia prius fuit impetrata. Sic etiam anno 1553. in causa Nobilium à Wilsberg, contra Comitem in Hanaw, & Dominum in Liechtenberg/ hac venia in Camera Imperiali petita fuit. Vt & anno 1578. in quadam alia causa. Vbi distinguit inter feudi Dominum, qui Vasalli Magistra- tus est, & inferiorem Dominum. Vide quoque D. Vultei lib. disceptat. Scholastic. cap. 1. pag. 30. & seq. Vbi varios Doctores contrarium sentientes citat, & sequitur, inter quos etiam est Kirchouius, in thesauro commun. opinion. cent. 4. lit. V. conclus. 97. verb. Vasallus potest Dominum. & Mynsinger. centur. 4. obserua- tion. 92.

IX.

Quod de parentibus diximus, exaudiri debet de his, quorum potestati subiecti non sumus.

l. 3. C. de in ius vocand. l. adoptiuum. 8. in princ. ff. d. t. l. his nulla 4. ff. de Iudi- cijs. vide Oldendorp. dict. class. 1. act. 4. in pract.

X.

Similiter Præceptor à discipulo absque veniæ petitione in ius vocari non potest.

d. l. Generaliter. 13. ff. de in ius vocand. vide Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 5. casu vlt.

XI.

Ex hoc delicto nascitur in factum actio, quæ tribuitur vocato in ius, aduersus vocantem, in aureos quinquaginta, (a) nisi antelitis contestationem remiserit actionem, aut vocatus non venerit, aut non inuitus sit vocatus. (b) Quæ tamen actio heredi, aut in heredem, & post annum non competit. (c)

a) *l. libertus 12. l. pen. & vlt. ff. de in ius vocan.* (b) *l. quamuis 11. ibi: actionem remittat. ff. d. t. Oldendorp. class. 1. act. 4. in pract.* (c) *d. l. pen. ff. de in ius voc.*

XII.

Et licet quis ex rusticitate hoc modo deliquerit, (a) hæc tamen poena in eum conuertitur. (b)

a) *Vocatio in ius contra edictum est delictum l. 1. in fine. & l. 2. ff. Ne quis eum, qui in ius vocabitur. vi eximat. & probauit sup. disputat. 5. thesi 1.* (b) *l. 2. C. d. t. Facit quod lata culpa dolo proxima est l. cum res 47. §. culpa ff. de legat. l. si fortuitus 9. ff. de incend. ruina, naufrag. l. mulier 22. §. sed enim. ff. ad Trebellian. l. quaesitum. 8. §. eum quoque ff. de precario l. si fideiussor 29. in princ. ff. Mandati. & dolum representat. l. 1. §. culpa ff. Si quis testam. lib. esse iuss. fuer. & quandoque dolum dicitur. l. magna. ff. de V. S. l. quod Nerua ff. t. Depositi. l. is cui 5. §. dolum ff. Vt in poss. legator. Vide quoque Duaren. ad l. 5. in verbo: non etiam ob culpam ff. de in lit. iuran. & Coras. lib. 4. Miscel. cap. 2.*

XIII.

EXEMPTIO violenta eius, qui est in ius vocatus, est, qua is, qui à aliquo in ius ad Magistratum (a) vocatus est, nec cautionem iudicij sistendi causa præstitit, (b) à tertio quodam per vim (c) impeditur, quò minus contestim in ius veniat: (d) eaque etiam delictum est. (e)

a) *per l. 3. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus.* (b) *Hoc differt præsens delictum, à delicto sequenti. vide Cuiac. lib. 10. obs. cap. 10.* (c) *l. 1. in princ. ibi: vi eripiunt. l. 2. ibi: vi eximat. Item ibi: vi eximi eum. l. 3. in fine l. 5. §. 1. ibi: qui vi eximit. & l. vlt. ff. eod. tit.* (d) *l. 4. in princ. & l. 5. §. docere ff. d. t.* (e) *d. l. in princ. ibi: compesceret eos & §. vlt. in fine l. 2. ibi: simili delicto l. 3. §. 1. ibi, poena eius edicti l. 5. §. pen. ibi: si plures deliquerint & d. l. vlt. ibi: poenam suam ff. d. t. & §. poenales. vers. item aduersus eum. Institut. de action. Oldendorp. class. 1. act. 5. cap. 2. Donellus lib. 15. comment. cap. 27. pag. 457. in princip. Obstat. l. 3. in fine ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus.*

XIV.

Ex hoc delicto nascitur poenalis in factum actio, aduersus eximen-

CORRUPTIONE ALBI PRÆTORIS, &c. 5

mentem, qua non id continetur, quod in veritate est, sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est; (a) id est, quantum in libello conuentionis ab actore petitum est. (b)

a) l. 5. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus. (b) Duaren. ad l. 5. n. 9. ff. de in lit. iuran. Dissentit Bartolus ad l. 5. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus. &c. Vbi hunc locum intelligit de iureiurando in litem.

XV.

Quòd si plures deliquerint, in singulos datur hæc actio; & nihilominus manet, qui exemptus est, obligatus.

d. l. 5. §. pen. ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus. vide Cuiac. dict. libr. 10. obseruation. cap. 10.

XVI.

Heredibus autem ita dabitur, si eorum interfit. Neque autem in heredem, neque post annum dabitur.

d. l. 5. §. vlt. ff. d. tit.

XVII.

Non est circa hoc, & præcedens delictum, omittendum, quod olim in ius ab aduersario, iuris experiundi causa, vocatus, vel confestim sequi vocantem tenebatur, nisi iudicio sistendi causa cauerit; (a) vel inuitus ab eo in ius vi rapiebatur. (b)

a) tot. tit. ff. in ius vocati vt eant, aut satis vel cautum dent. (b) Vt arguit inscriptio. l. solutum 48. vbi Gæddens n. 1. ff. de V. S. l. 4. in princ. ff. Ne quis eum, qui in ius vocatus. Duaren. lib. 1. disputat. cap. 1. Cuiac. lib. 7. obseruat. cap. 16. & lib. 10. cap. 10. & in commentar. in lib. 1. Pauli ad edict. pagin. 8. & sequent. & in lib. 4. Pauli ad edict. pag. 93. & seq. Donell. lib. 23. commentar. cap. 2. pag. 5. Vultei lib. disputat. scholast. cap. 1. Dissentit Robert. lib. 3. sentent. cap. 1. Vide etiam Ioh. Vaudum lib. 2. quæst. 26.

XVIII.

Aliud tamen fuit Vocatio in ius, aliud item raptus vocati; illa præcedebat, hic sequebatur, si vocatus vocantem sequi negabat.

argum. l. quamuis 11. l. satisq. 19. vers. sed si aditum l. sed & is 21. ff. de in ius vocando. Tum & argument. tit. ff. si quis in ius vocatus non ierit. & duorum Tit. sequent. Hinc ergo conuincitur error eorum, qui ius illud de petenda venia vocandi in ius eum, qui absque venia petitione vocari impunè nequit, abrogatum esse scribunt.

XIX.

DOLOSA retentio eius, qui in iudicium vocatus (a) est, dicitur qua

qua quis per se, vel per alium dolo malo quacunque ratione impedit, ad iudicium die praefinito venire eum, qui iudicio sistendi causa vocanti aduersario cautionem praestitit. (b) Estque & hoc factum delictum aliquod (c)

a) l. 3. in princ. ff. de eo per quem factum erit. & c. (b) tot. tit. ff. De eo per quem factum erit. Hoc etiam differt praesens delictum à superiori, uti arguunt tit. ff. Qui satis dare cogantur. & tit. sequent: Qui duo tituli interpositi sunt inter tit. Ne quis eum, qui in ius vocatus, & d. tit. De eo per quem factum erit, & scribit Cuiac. lib. 10. obseru. cap. 10. Hæc cautio praestari solita erat, vel extra ius, quando quis ab aduersario in ius vocabatur, vel in iure coram pratore, vel alio, qui Iurisdictioni praeerat, cum scilicet vocatus confestim in ius veniret, uti arguit Rubr. & tit. ff. In ius vocati ut eant, aut satis vel cautum dent. (c) l. 1. in princ. ibi: dolum eius coercere. & §. 1. ibi: dolo malo. §. si plures ibi: dolo fecerint. §. ultimo ibi: ex dolo defuncti. l. 2. in fine ibi: ipse nihil deliquit ff. De eo, per quem factum erit. Donell. lib. 15. commentar. cap. 27. pag. 457.

XX.

Ex hoc delicto nascitur actio in factum, aduersus eum, cuius dolo factum est, quo minus is, qui iudicio sisti cauit, ad praefinitum diem vocatus in iudicio sistat, in id scilicet, quanti actoris interfuit, reum vocatum sisti; puta, si quid amiserit actor ob eam rem; veluti si reus tempore dominum rei interim sibi adquirat, aut actione liberatus fuerit.

l. 3. in princ. ff. De eo, per quem factum erit.

XXI.

Quandoque hæc actio tribuitur etiam actori aduersus eum, à quo ipsemet impeditus fuit, quò minus in iudicio sisteretur.

l. vlt. §. si & stipulator. & §. seq. ff. d. t.

XXII.

Quòd si plures dolo fecerint, omnes quidem tenentur, sed si vnus praestiterit poenam, cæteri liberantur, cum nihil intersit.

l. 1. §. si plures ff. dict. tit.

XXIII.

Et competit hæc actio etiam heredi, sed non ultra annum; aduersus heredem autem hætenus datur, ne ex dolo defuncti heres lucretur.

l. 1. §. vltim. & l. vltim. in fine ff. eod. tit. Quatenus igitur in hereditate est, tenetur heres non ultra.

Quòd

99.

CORRUPTIONE ALBI PRATORIS &c. 21
XXIV.

Quòd si is, qui dolo fecit, quò minùs in iudicio sistatur, soluen-
do non fuerit, æquam erit, aduersus ipsum reum restitutorium actio-
nem competere, ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & da-
mno actor afficiatur.

l. vlt. §. 1. ff. d. tit.

XXV.

CONTEMPTVS ius dicentis est, cùm quis Magistratui (non
Duum viro) id, quod extremum est in Iurisdictione, exequenti, vt si
rem mobilem duci vel ferri iubeat, non obtemperat, id est, non pati-
tur rem duci, aut ferri.

*l. vnica. Vbi Vuesenbec. in paratit. ff. Si quis dicenti ius non obtemperauerit.
Cuiac. lib. 24. obseru. 25. Duaren. lib. 1. disputat. cap. 50. & in apologia de Iurisdic-
t. aduersus Eguinar. Baronem. Iohan. Robert. lib. 4. sentent. cap. 21. Donellus lib. 15.
comment. cap. 24. in fine.*

XXVI.

Hoc delictum parit actionem pœnalem, non in id quod interest,
sed quanti ea res est, (a) id est, quanti est contemptus eius, qui ius
dicenti non obtemperauerit, vt in tantum condemnetur, quanti pu-
blicè interest, contumaciam huius puniri. (b)

a) *d. l. vn. in princ. & §. vlt. ff. d. t.* (b) *ita post Baron. Donellus lib. 15. com-
mentar. cap. 24. in fine & Cuiac. dict. lib. 24. obseru. cap. 25.*

XXVII.

Sed cui tribuatur hoc iudicium, magna est Doctorũ concerta-
tio; quidam ipsi Magistratui hanc competere actionem volunt; (a)
aliqui autumant, litigatori, in cuius causa Magistratus Iuri dictio-
nem suam exercebat, dari hanc actionem; (b) sunt etiam, qui popu-
larem hanc esse actionem volunt, & cuius agere volenti eam conce-
di, (c) quorum sententiæ subscribimus. (d)

a) *Speculat. lib. 2. tit. de sentent. §. species autem n. 12. Arnold. ab Haërsolte
in aduersarijs de actionib. part. 1. act. 7. n. 7.* (b) *Iohan. Robert. dict. lib. 4. sent.
cap. 21. & Duaren. dict. lib. 1. disput. cap. 50.* (c) *Cuiac. dict. lib. 24. obser. cap. 25.
& Donell. lib. 15. comment. cap. 24. in fine.* (d) *Cùm enim albi corrupti actione
vindiceretur Maiestas Magistratus. l. si familia §. ff. de Iurisdiction. ea q. popularis sit.
l. si quis 7. in princ. ff. d. t. verisimile est, & hanc esse popularem actionem.*

D d

E c

Et quia hæc actio meram continet pœnam, neque post annum,
neque in heredem datur.

d. l. vnica §. vlt. ff. Si quis ius dicenti non obtemperauerit.

XXIX.

At cui tribuitur hæc pœna? Cuiacius (a) arbitratur inter acto-
rem & fiscum eam diuidi debere; nos autem existimamus, ipsi actori
eam esse applicandam. (b)

a) *dict. lib. 24. obseru. cap. 25. per l. lege 25. in fine ff. de SCTO. Silan. (b) acti-
one enim populari qui experitur, lite contestata fit creditor. l. si cui exempto. 12. ff.
de V. S. Facit etiam huc, quod & hæc actio significari videtur in §. pœnales. in fine
ibi: & alias innumerabiles. Institut. de actionibus. Quod si ita est, continetur etiam
definitione actionis, proposita in §. 1. Institut. eod. tit.*

XXX.

Non est hoc loco omittendum, quòd in Camera Imperiali Re-
us in hoc contumax, quòd iudicatum non facit, vel mandatis execu-
torialibus non paret, in Dannum Imperij declaratur.

Vide Andr. Gayl. lib. 2. de pace publ. cap. 6.

XXXI.

RESTAT iudicatio mala dolo facta, quæ est delictum, quo iu-
dex vel gratia, vel inimicitia, vel auaritia ductus, in fraudem legis sen-
tentiam dixit.

*l. filiusfamilias 15. §. 1. ff. de iudicijs & l. 2. C. de pœna Iudicis, qui malè iudi-
cauit. Vbi Cuiac. in paratit. Vide Donellum lib. 15. commentar. cap. 27. pag. 457
& seq.*

XXXII.

Ex hoc delicto nascitur actio in factum, quæ ei, qui læsus est sen-
tentiâ Iudicis, in veram litis æstimationem, contra eum Iudicem
competit.

*d. l. filiusfamilias 15. §. 1. ff. d. t. & d. l. 2. C. de pœna Iudicis, qui malè iudica-
uit. Vbi vide Cuiac. in paratit.*

XXXIII.

Quòd si filiusfamilias Iudex litem suam fecerit, in tantam tene-
tur quantitatem, quæ tunc in peculio fuit, cum sententiam dicebat.

d. l. filiusfam. 15. in princ. ff. d. tit.

XXXIV.

In heredem autem Iudicis hæc actio non datur.

l. Iulianus 16. ff. d. tit.

Pro-

Problemata.

I.

FALSI poenā an teneatur, qui edicta proposita dolo malo corrupit? affirmamus.

l. pen. ff. ad l. Cornel. de fals.

II.

Albi corrupti actione an teneatur, qui vel libros armarij publici, vel acta iudiciaria in archiuo publico reposita corrupit? Doctores communiter affirmant. (a) Nos cum Fulgofio, & Zasio (b) negamus. (c)

a) *Bart. & alij ad l. Si quis 7. ff. de Iurisdiction. Ias. Ang. & alij ad S. poenales quoque. Institut. de actionibus.* (b) *Ad dict. l. Si quis ff. de Iurisdiction* (c) *per text. in dict. l. Si quis 7. in princ. ibi: quod Iurisdictionis perpetuae causa. ff. d. t.*

III.

An eadem conueniri actione possit, qui hominis cuiusdam imaginem, in laudis monumentum publico in pariete depictam corrumpit? Contra Bart. & alios cum eodem Fulgofio, & Zasio (a) id negamus. (b)

a) *In dict. l. Si quis 7. ff. de iurisdiction.* (b) *Per idem fundamentum precedenti conclusioni nostra adpositum.*

IV.

Sed quid si studiosus aliquis edictum Senatus Academici, quo ob grande aliquod facinus studiosus quispiam relegatur, proteruē & dolo malo corrumpat, (id quod alicubi factum meminimus) nunquid hac etiam actione conuenitur? Ita quosdam arbitrari scimus, quibus nostrum addere calculum recusamus, existimantes, aliam in hunc poenam conuerti.

Per d. l. Si quis 7. in princ. ff. de Iurisdiction.

V.

Doctores legum, Medici, & literarum professores, in iudicium duci an possint? Constantini sanctio id vetat.

l. Medicos 6. C. de professoribus & medicis.

VI.

Possitne quis impunē parentem suum spiritualem, compatrem

D d 2

& te-

& testem Baptismi, absquevenia petitione in ius vocare? Doctores negatae sententiae patrocinium suscipiunt.

Vide Ang. Aretin. ad dict. S. pœnales quoq³, num. 6. Instit. de actionibus.

VII.

Cùm subditi quotannis suo Magistratui pendere censum teneantur pro modo facultatum suarum, quaeritur, si quis minorem patrimonij sui quantitatem professus fuerit, fraudandi census causâ, an eius vniuersa bona in commissum ceciderint, vel pro modo tantum, quem dolo malo reticuit? Quod posterius probamus.

Per l. Paulus 58. ff. ad Scetum Trebell. & Tit. 38. lib. 2. feudor. aliaq³, fundamenta ad Thesin 46. sub lit. A. d' sputationis 3. adscripta.

VIII.

An actio de dolo in eum etiam competat, contra quem publica accusatio ob eundem dolum institui potest? Affirmamus.

per textum in l. Si quis affirmavit, 9. S. 2. ff. de dolo, & l. Isti quidem 8. in prin. ff. Quod metus causa. Cuiac. ad. l. Et eleganter 7. S. Secundum quæ 1. & S. sequent. ff. de dolo.

FINIS DISPUTATIONIS OCTAVÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Einband. 3/1.





Disputatio VIII.

DE CORRUPTIONE ALBI PRÆTORIS; DE
maioris summæ in libello actionis petitione; De vocatione in ius contra edictum; De
exemptione violenta eius, qui in ius vocatus est; De dolosa retentione eius, qui in
iudicium vocatus est. De contemptu ius dicentis; & De iudi-
catione mala, dolo facta.

Q V A M,

A. D. O. M.

P R Æ S I D E,

CLARISSIMO

ET CONSVLTISSIMO VIRO,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

*& Professore in illustri Tubingensium Academia celeberrimo, Domino Affine & Præceptore
perhonorando:*

ORDINARIJ EXERCITII GRATIA,

horâ locoque consuetis, ad diem 8. Iunij. pro in-
genij tenuitate defendere cona-
bitur

L V D O V I C V S V A L E N T I N V S

à Milen.



T V B I N G Æ,
Apud Georgium Gruppenbachium,

ANNO M. D. *CCVIII.*

Cc

